

in qua maiorum eius titulus eminebat, omnem hanc materiam cuiusdam taciti favoris defloravit orator, quasi ea non monumentum familiae suae P. Clodius habuerit, sed quoddam scelerum devorsorum, in qua occidisse Marcum 5 etiam Papirium videbatur, equitem Romanum, eo scilicet tempore, quo decertatio ibidem *<inter>* Pompeianos et ipsius factionem commissa est. Cum per fraudem emisset e custodia Tigranis filium nuper ex Armenia per Cn. Pompeium sorte captivitatis abductum eique potestatem dis-  
10 cedendi liberam permisisset, videtur e numero Pompeiano-  
rum M. Papirius interemptus.

Comprehensus est in templo Castoris servus § 18.  
P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficien-  
dum conlocaverat.

15 Moventer hoc exemplo utitur nec sine aculeis invidiae ...  
*(Desunt II paginae.)*

... esse testatur, quomodo iustitiae cultor sit. § 22.

Dederas enim, quam contemneres populares  
insanias, iam inde ab adulescentia documenta  
20 maxima.

... Orationem converterat ad L. Domitium quae-  
storem. Cuius animum sine dubio ut efficacius Miloni ad-  
iuvando conciliaret adversus impetum seditiosorum, com-  
monefecit eum constantiae suae, cuius exempla edidisse  
25 nuper in adulescentia videbatur. Nam cum C. Manilius  
post annum tribunatus sui, quem turbulentissime gesserat,  
causam de maiestate dicturus esset accusante Cn. Minucio,  
id egit, ut per multitudinem conspiratam obsideret eun-  
dem Cn. Minucium accusatorem suum. Cui obpresso auxi-